BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 946

ILLVSTRISS.º AC R.DISS.º D. D.

# PETRO TYLICKI, EPISCOPO CRAC: DVCI SEVERIENSI

&c. &c.

In primo Episcopatus ingressu,

# GRATVLATIO.

M. ADAMI OPATOVII.

CRACOVIÆ,

Typis Ioannis Szeliga, Anno Domini 1 6 0 7.

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO.

11.517

Admodum Rndo Patri Dno Sebastiano Nagrodio [illegible] Dno et fautori suorum studiorum



QVID prodeſt ſublime genus? quid gloria Martis?
Si cultus veræ relligionis abeſt?
AEquiparas vtròque tuos ſplendore Quirites,
Multos ſed vincunt, clara trophæa crucis.
Hoc ſigno Conſtantinus ſæua agmina fregit,
Eccleſię hoc frangas caſtra inimica tuæ.

XVII - 946 - III

# GRATVLATIO.

MAGNVM QVIDDAM VIDENTVR suſcepiſſe, I. A. qui virorum Illuſtrium, & Principum qui proximam Deo poteſtatem in terris gerunt, prę-claras & laudabiles virtutum actiones, æternis litterarum monumentis ſtudent conſecrare. Nullum enim vnquam, ad orationis gloriam comparandam, illuſtrius argumētum reperitur, quam virtus Principis intaminatis fulgens honoribus: aut quam iuſtitia eiuſdem, nullis quamlibet profuſis largitionibus peruia, nulliſque afflictorum querelis violata, aut denique quam in frenandis cupiditatibus, & in calamitatibus ac iniurijs à vita, fortuniſque ciuium propulſandis, incredibilis & toties ſpectata fortitudo. Verſantur in manibus, non modo imperitæ plebis, ſed etiam virorum doctiſsimorum, quorundam ſcripta, in quibus res omnium iudicio abiectiſsimæ, caluitium, culex, formica, & ipſæ hominum generi infeſtiſsimæ peſtes, bellum, ſtultitia, exquiſitiſsimis laudibus ornantur. Quid vero ſcripta, quæ optimum ac integerrimum Principem, in omnibus vitæ partibus moderatum & temperantem, plenum pudoris, plenum officij, plenum religionis loquuntur: annon in omnium o-

culis gestabuntur? annon summo studio euoluentur? Quod enim spectaculum, mortalium oculos magis capere, & sui oblectatione satiare potest? quam sanctissimi Principis imago, veris & non simulatis virtutum lineamentis animata potius, quã descripta? quod tàm iucundum acroama? quod tàm suauissimis numeris deuinctum & modulatũ carmen, magis demulcet & oblectat aures: quam ea oratio, quæ ciuitatum populorumque moderatoris, purissimam & castissimam vitam, nullisque flagitiorum maculis inquinatam prædicat. Magnũ est beneficium Dei, & omnium prædicatione maius, rerum humanarum arbitrum & moderatorem, in cuius manu, sint positæ opes, dignitas, & omnium vita mortalium, eum habere, qui cæteros, non tám altissimo dignitatis fastigio, quàm virtutum imperatoriarum amplissimo splendore antecellat. Huic, tanquam veræ interris imagini Dei, omnis terrarum orbis, solennibus laudum adoreis litat: huic, votis concordibus imperium diutissimum precatur, huic, laterum suorum oppositus, contra mucrones insidiantium promptissimè offert: suaq; corpora paratissimus illi substernere, si illi per stragem humanam, iter ad salutem sit sternendũ. Fuit, fuit semper, & est in hanc vsq; diẽ, singulari beneficio Dei, in hoc inclyto & florẽtissimo Poloniarum regno, optimorum & sapientissimorum Principũ

copia,

copia, qui non modo in Senatu ſapientiſsiſsima conſilia dando, verùm etiàm in ſanctiſsimis templis, ſacra religionesq; immortalis Dei, ſapienter interpretando, & fortiter propugnando, Rempub: conſeruant. Et quanquam innumeri clariſsimi viri reperiantur, qui, etſi huius mundi negotijs impediti ſunt, plurimum tamen prudentia & conſilio poſſunt, in periculis à Repub: remouendis: hi tamen qui & fallacis mundi illecebris, & corporis ſui deſiderijs abiuratis, totos ſe ac omnia ſua, cultui diuino mancipârunt, plus cæteris animaduertere, & tanquam è loco editiſsimo, procellas & tempeſtates Reipub: denunciare, atque inprimis fluctus turbulentiſsimos poſſunt componere. Hi enim, dum aut in rerum ſublimium, & diuinarum contemplatione occupantur, aut dum ad religioſiſsimas aras, ſacris operando, pro ciuium & Reip: incolumitate, ad Deum omnis miſericordiæ benigniſsimum parentem, ſupplices manus tendunt; nonne ipſius Dei, ac Beatiſsimarum mentium conſuetudine fruuntur? nonne ab illarum admirabili, & longè omnium præſtantiſsima luce, mentis tenebræ diſcutientur? nonne cæteris ſapientius, laboranti Reipub: opem ferre, eamque è ſeditionum procellis ereptam, in firmo ac tutiſsimo tranquillitatis portu, collocare poterint. Vt enim res diuinis miniſterijs deuotæ, plurimum ex ſe venerationis

ſpirant, animoſq; profanæ multitudinis metu percellunt: ita in viris, ad Sacroſancta ſacerdotij munera obeunda delectis, non modò variæ, ac multiplicis ſapientiæ luminaria, ( ita adiungente diuina benignitate, ) elucent, ſed etiam neſcio quid emicat diuinitatis. Atque equidem, I. P. cum ad te, in hoc longè omnium iucundiſsimo die,& in quo, ius lætitiæ datum eſt publicé, oculos meos,illos inquam mentis,amorem tui ardenter conceptum ſpirantes reflecto,dictu eſt incredibile, quam iucunda recordatio tuarum virtutum,animum meum ſubit, quibus officium,& prudentiſsimi in Curia Senatoris,& Sanctiſsimi in Eccleſia Dei Antiſtitis, tanquã precioſis ornamentis diſtinctum eſſe oporteat. Et cum vocem meam, animi promptiſsimi teſtem, & in hoc, omnis ætatis ac ordinis hominum, cõmuni gaudio, geſtientis interpretem, continere non valeo; dabis mihi pro tua in omnes clementia veniam, quod homo, cum ab alijs rebus, tum à dicendi copia deſertus, tantum mihi negotij ſumam, vt tuas incredibiles virtutes, & quæ iam in omnium ore verſantur, & quæ aliquando præſtantiſsimorũ hominum,& ingenij & orationis vbertatem fatigabunt & exhaurient: audeam tenui orationis filo pertexere. Quandoquidem ipſi Ioui, quem falſó antiquitas Deum putauit & coluit, non tantum cum pingues tauri ad aras cadebant, ſed etiam cũ

pauperis

pauperis angusta manus, tura adoleret, sacra fiebant. Et cum sint, propè infinitæ virtutes, quibus & Senatoriam dignitatem, & summam in Ecclesia Dei amplitudinem, es adeptus: tum ego illas quatuor maximè sum admiratus, religionem, sapientiam, iustitiam, amorem patriæ: quarum vt ante multis iucundum fuit, in adolescentiæ flore luxuriem adspicere, ita nunc ipsi Reip: vtilissimum, vberrimos earũ fructus percipere. Et religionis quidem, & rerum diuinarum studium, non modo in liberis, & optimis legum institutis temperatis Rebuspub: sed etiam in barbaris, & nulla humani officij ratione deuinctis nationibus, ita antiquissimum & Sacrosanctum fuit, vt quibus initijs cætus, ac societates hominum coire, vrbium mænibus, locum designare cæperunt, ijsdem prima diuini cultus fundamenta sunt iacta. Ita enim illa vetustissima sæcula, quamuis in cognitione veri Dei, dẽsissimis ignorantiæ tenebris fuissent obsita, sibi persuadebant, esse quoddam supremum numen Deorum, cuius potestate, arbitrio, nutu, cuncta in hoc spatioso orbis theatro verterentur, & cuius incredibili, ac invsitata in genus humanum bonitate pulcherrimi cælorum orbes, vario siderum splendore distincti, eosdem inter se cursus constantissimè seruantes, vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas

& ad

& ad maturitatem frugum; & ad temperationes temporum aptas, efficerent: & cuius, hæc certissima iustissimæ indignationis argumenta putarent, si quando, aut vehementiores & immoderatæ tempestates, vim magnam aquarum è nubibus, in agrorum atque in hominum perniciem effunderent, aut si letalis morbi lues, aut segetem in agris enecaret, aut armenta in stabulis suffocaret, aut denique homines in ciuitate absumeret. Quare animum adiecerunt, ad aras ponendas, & delubra sumptuosissima extruenda, inquibus varium honorem Diuis reddebāt, vt imminētia pericula, à suo, & Respub: capite auerterent, statumque rerum, & domi, & foris, florentissimum sortirentur. Sed posteaquam tandem, illa lux, tot ardentissimis votis, ac desiderijs, sanctissimorum hominum, è cælo euocata in terris illuxit, & illas à tot sæculis offusas caligines discusit, tum demum verus atque illibatus religionis cultus resplenduit, tunc denique oculos, ac mentem mortalium in se conuertit. Et quanquā blādissimis voluptatum illecebris captæ ac delinitæ mentes, difficulter, tanquam traballi defixæ clauo, ab illa quam simulata religio permittebat, vitæ impuritate, & dissoluta ratione ad hanc pudoris & sanctimoniæ magistram concedebant. sed ô magna vis veritatis, quæ te contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium in-

um insidias,per te ipsam defendis, quid non potes? quid non audes? vbi semel animos hominum es complexa: tuum hoc opus, tuum beneficium est, quod illæ tristes Erebi facies, illa horrenda inferni portenta, quæ se pro dijs venditabant, in paludes flammis sulfureis perpetuo flagrantes, sint præcipitata: tibi hoc acceptum ferendum, quod vnus in indiuidua Trinitate Deus, vbique terrarum ac gentium colatur & veneretur: tibi hoc tribuendũ, quod plurimi molitie ex animo eiecta, vitam horridam & asperam adamârunt. & quod cæteris rebus abiectis, cælum negata tentant iter via. Hæc tàm diuina, & feracissima virtutum procreatrix, vbi animum tuum è sacro fonte excepit, & saluberrimis doctrinæ Christi præceptis, ad pietatem conformare suscepit: in tantas subitò flammas religionis tuendæ & amplificandæ excanduisti, vt pro hac, non modo minas, pericula, capitis dimicationem adire, sed ipsum pectus paratis ensibus obuium dare, dulce & decorum putares. Et cum prima initia ætatis, cupiditatum procellis sint obnoxia, quarũ æstu, plurimi à recto virtutis tramite abrepti, grauissima innocentiæ, integritatis, vitæ, fortunarum naufragia sũt passi, tu illam lubricam & fragilem ætatem, tàm sapienter regebas, tam cautè transigebas, vt nec affectus imperium rationis recusarent, nec vnquam rationem, quod fidelissimis

pietatis monitis obtemperaret, pæniteret. Elucebat iam tunc, morum triſte ſenium, & aſpectu graue, mira tamen ſuauitate conditum: illud quidem odio vitiorum ſuſceptum, hoc verò amore honeſtatis excitatum: illo homines improbiſsimi percellebantur, hoc quique integerrimi ad virtutis ſtudia inuitabantur: ita vt in tuo iuuenili vultu, & flagitioſi haberent quod metuerent, & optimi quod imitarentur. Et veluti in teneris arborum corticibus, variæ animaliū effigies inciſæ, vná cum arboribus ſuccreſcunt, ita illæ notiones pietatis, in tuo animo puerili conſignatæ, robur & maturitatem ſuam, cum ipſa ætate conſequebantur. Creſcebat & augebatur iuuenile corpus: creſcebat & animus religionis ſtudijs adoleſcens: virebat ætas florida iucundum ver agens, virebat & animus huius ſe virtutis primæuo flore conueſtiens: matureſcebant & iam ſolidæ ac corroboratæ vires erant, matureſcebat & firmum tenaxque propoſitum diuini cultus promouendi. Et cum in omni vitæ parte, manifeſta illius veſtigia imprimebas, ſed tum maxime tanquam plenis velis inuectus, ad laudem & gloriam eius amplificandam prodijſti, cum ſpretis rebus caducis, & vita tumultuante abiecta, plenum timoris ſacerdotij miniſterium, & operoſū munus legationis, diuinæ gratiæ, ita diſponente domino, adijſti. Intelligo I. P. quam difficili in loco

loco verſer, quam mihi ſeſe vberrima dicendi materies offerat, quam latiſsimus orationis campus pateat: ſed me comprimam, & non patiar in eo loco mediocritatem meam periclitari, cui ſe præſtanti ingenio viros, ſumma copia & ſingulari facultate dicendi, vix vnquam commiſſuros arbitror. Illud tamen, quaſi pertranſennam aſpiciens, non poſſum ſtrictim non attingere: ſerius paulò, & omnium expectatione ſerius, tuæ virtuti & meritis, debiti honores ſunt delati: ſcilicet vt eſt vitium inuidiæ commune & peruagatum, eoſque acerrime & hoſtiliter inuadens ac deprimens, qui virtutis commendatione, & rebus preclarè geſtis, ad regni beneficia nituntur: te quoque eo odio, quo antea omnes omnibus ſæculis bonos aggrediebatur, eſt aggreſſum. Non pauci, qui te poſterius ad Remp: acceſſerant, aut ſummos magiſtratus adibant, aut ampliſsima ſacerdotia conſequebantur: tu tamen nihil eò immutatus, de ſedulitate ac fide Reipub: data, remittebas, quinimò nec ſumptui, nec labori, nec valetudini parcens, maximis te ac difficillimis in negotijs exercebas. Neque enim ſollicita ambitione, nec nimia honorum cupiditate adductus, infinitos rerum forenſium labores ſuſtinebas, ſed cupiens ciuium & Reip: dignitati, atque inprimis religionis incremento, ( cuius nunquam obliuiſci poteras, ) inſeruire. Nec hic tuus animus

 erat

erat, cum oleo lætitiæ ad offerendam Deo hostiã incruentã vngebaris, vt molestis & vsque in senium protractis officijs, amplissimos & locupletissimos Episcopatus obtineres. Quid igitur mirum, si in tanto inuidiæ incendio, animus tuus nullas flãmas concipiebat? si infractus virtutis iter vrgebat? si strenuus molestiarum difficultates superabat? si denique fortitudine sua inuidorum oculos perstringebat? Et cum humanarum actionum iustissimus retributor Deus, vt nullum flagitium sine vindicta, sic nullam virtutem sine proemio permittit abire, hanc primum, (ita crediderim,) iustissimo & clemẽtissimo Sigismundo Regi, magnanimo religionum propugnatori, mentem inspirauit, vt tuis maximis, & ex animo profectis vigilijs, curis, laboribus, meritos redderet honores. Nec quidquam moratus est, diuino dicto audientissimus Princeps, teque quatuor honorificentissimis Episcopatibus, qui se non ita longo temporis interuallo excipiebant, ornauit: Quos inter est hic Cracouieñ. quem solenni & venerando habitu Pastorali, die hodierno ingrederis, teque in medio populi, tibi diuinitus commissi, cognoscendum sistis, & quæ est consuetudo cum potestate in hanc vrbem ingredientium Episcoporum, ad reliquias B. Stanislai supplex te aduoluis, & cum in illius locũ successeris, ab hoc precibus contendis, vt etiam

nunc

nunc mortalitate exuta; & Beatorum consortio fruens, in partem muneris & laboris veniat. Et cũ mecum, tuum admirabile studium diuini cultus propagandi, quod superiorũ Ecclesiarum gubernaculis admotus declarasti, considero: non dubito eum tibi præsto ad futurum. Tu namque hoc tam diuino calescens igne, non ea quæ tua essent, sed quæ Dei, quærebas; tuque inprimis pestes illas ac pernicies peculij Christi, scelestissimos inquã pestiferarum opinionum autores, nescio quo Acheronte excitatos, arcebas: tu Sanctissimas ædes sacris & religioni Catholicæ consecratas, ab his spurcissimis non hominibus, sed belluis violatas, & nefariè occupatas, quantum in te fuit studebas recuperare: tu ad ouile Christi fallacis doctrinæ laqueis irretitas, & abductas oues reducebas, tu si quid in tuo grege infirmum erat curabas, si quid vitiorum labe respersum abluebas, si quæ vis morbi pertinacis ingrauescens serpebat, resecabas: tu lætis & amænis pascuis verbi diuini, tu limpidissimis fontibus illius æternæ beatitudinis tuum gregem reficiebas: tu denique prouidebas, ne flagitiorum contagio, in æternum deplorandas strages faceret, sed vt alma salus, virtutum incrementis cõfirmata, complexa omnes foueret: tu si quando furiosa Hæreticorum rabies, Ecclesiæ dignitatem eleuare, illius patrimonium dissipare, sacra, religionesq;


gionesq;

gionesque per summum dedecus contaminare, diuinamque suppellectilē, ex multo argento & auro, (quod illis multum dolet,) confectam, & gemmis (vt illis etiam vsque eò doleat,) distinctam clarissimis sacrilegio oculis, rapacissimis manibus auferre conabantur, tu inquam inter alios magnanimos & fortissimos Antistites resistebas, priusque vitam tibi eripi, quam hæc te viuo violari malebas. Nescit profecto vera virtus quiescere nescit, sed per quæ vis ardua & periculosa viam sibi pandit, nec languere potest, vbi se honestæ occasiones illius exercendæ præbent. Quare fruere hoc tanto & solo bono, hoc magnus & admirandus, quod sedulò facis, haberi stude; hoc illam quam spectas immortalitatis gloriam, de qua nulla vnquam ætas, nec illa vnquam intermoritura Beatorum præconia conticescēt, perpetuare contende. Iam verò quæ tanta dicendi copia, quod tam vberrimum orationis flumen reperietur, quod innumeras tuæ sapientiæ laudes, quæ omnium pleno ore celebrantur, si non complecti orando, at vel percensere commemorando posit. Primum illum ætatis iuuenilis cursum, non aliò deflexisti, quamuis multa quæ honestum mentirentur, te suis illecebrarū præstigijs auocare conarentur, quam ad augustissimum sapientiæ domicilium. Cuius in amorem ita exarsisti; vt non amplius discessionem cogitaueris

gitaueris, ſed iam tum in animum induxeras, nullibi ſecurius, nullibi fructuoſius, nullibi iucundius, nullibi honeſtius, non modo pueritiæ, ſed reliquum vitæ curſum poſſe tranſigi. Hic tu primum animum & aures dare cæpiſti, illi Poëtarum concentui, cui ſaxa & ſolitudines voce reſpondent, illis fabularum narratiunculis quibus teneræ mentes capiuntur, & ad honeſti ſtudium excitantur; hic illa præcepta cognouiſti, quæ orationis illuminandæ, & totius Eloquentiæ accumulandę artem præſcribunt; hic illius artis acumina perſpexiſti, quibus in veritate propugnãda, re vniuerſa tribuenda, latente explicanda vtitur: hic illius ſcientię cognitionem es adeptus, quæ diligentiſsima perueſtigatione res à ſenſu cõmuni abſtruſas & recõditas eruit,& in lucem profert; hic illam verè magiſtrã &parentem vitę Philoſophiã,quam Socrates euocaſſe è cælo & in Vrbibus collocaſſe creditur, quæ Reſpubl, optimis legum inſtitutis moderatur, hominumq; cupiditates ſeſe effundere, & imperium rationis excutere volentes, tenet & coercet, tua illa admirabili ingenij fælicitate excuſsiſti; hic tu iuris diuini leges & inſtituta non infinitis, & concertationum plenis diſputationibus, ſed auctoritate, & illo tibi diuinitus conceſſo iudicio, es aggreſſus interpretari: hic multarum & diuerſarum gentium mentem mores inſtituta, rerumq; publi-

carum

earum varia principia, multiplices iactationes, & luctuosos exitus perspexisti, cum monumenta rerum gestarum, omnemq; memoriam antiquitatis euolueres: hic deniq; omne genus scriptorum optimorum, & saluberrimis vitæ regendæ præceptis refertissimorum, delibasti. Ita vt iure meritissimo, illud de tuo feruenti, & inexpleto sciēdi studio dici possit, quod de suo Romanæ facundiæ Princeps confitetur: quātum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alij tribuunt intempestiuis conuiuiis quantum denique aleæ, quātum pilæ, tantum tibi ipsi ad hæc studia recolenda sumebas, atq; etiam nunc sumis. Excitant in agricola studium culturę, vberrimæ fruges agrorum: excitabant & in te ipso laborem, cōtentionem, industriam, illi in animo tuo tanquam in culto & fertili agro, propè in diem efflorescentes, & sapienter intelligendi, & beatè viuendi, lætissimi fructus. Gaudet mercator, & totus lætitia exultans, non metuit fragilem truci commitere pelago ratem, cum ex mercium cōmutatione rem suam familiarem videt accrescere: gaudebas & tu, nec labori parcens, quidquam de suscepto negotio remmitebas, cum illas veras animi opes, opibus accumulatas augeri & excrescere videbas. Laboris

namq;

namq; ibi pœnitet neminem, vbi certa ſpes commodorum affulget, & vbi collectam animi ægritudinem iucunda delectatio reficit. Satis hoc profectò, non modò ad ſapientiæ nomen ſuſtinendum, ſed & ad ipſam laudem parandam videbatur, cum pulcherrimum orbem, tot exquiſitarum ſcientiarum, tam vehemẽti cum ſtudio abſoluiſſes, ſed tibi vni, qui hoc amplius quiddam animo ſuſceperas, non ſatis. Non enim tu eam ſapientiam ambiebas, quæ apud Græculos homines, contentionis potiùs quam veritatis cupidiores, de propoſitis quæſtiunculis, ſpinoſo, exili, conciſo, & tortuoſo orationis genere, in diſſerendo vtitur: ſed quæ ciuitates inſtitueret, leges optimas ſcriberet, hominum cupiditates frangeret, ius omnibus æquum diceret, ſcelerum fibras, & praui elementa cupidinis extirparet; innocẽtiam verò, integritatem, & mutuam animorum conſenſionem, in animis ciuium insereret, hanc noſſe cupiebas, hanc ex veterum monumentis ſtudioſè conquirebas. Et cum hanc, Gymnaſiorum parietibus incluſam, mortuam & ſepultam videres, in lucẽ atque adeò in ipſam faciem Reip: prodijſti, eamque ad communem vſum & vtilitatem referre cæpiſti. Erat tũ in Rep: nomen celebre, optimis quibuſque Reip: regendæ, tuendæ, amplificandæ, artibus inſtructiſsimi viri Ioannis Samoſcij, cuius domus, no-

 bilisſi-

bilissimę iuuentuti Polonæ, quasi quidam ludus, & officina, & togatarum artium & militarium patuit; ad hunc concesisti, teque illi sapientissimo & immortali viro, qui de ingeniis hominum iudicare poterat, perpoliendum tradidisti. Quid hic commemorem, qua ille in te animi propensione, in Reipub: negotijs tibi ad expediendum mãdandis fuit, & qua tu in hunc fide, qua celeritate in conficiendo eras? vix ille innuebat, tu effectum dabas; sapienter pręcipiebat, tu quoq; sagaciter parebas; ex bono & dignitate Reipub: negotia publica moderanda esse monebat, tu quoq; illius ornamentis & saluti, nihil tibi esse carius declarabas; ita vt ille tuum incredibile in obtemperando studium, tu verò illius diuinam prope in imperãdo sapientiam, admirabaris. Ex quo, nihil vnquam tale fuit, in quo tu illius in te amorem non agnoueris, aut in quo ille, tuam industriam & solertiam nõ probauerit. Diuinus, & facile Princeps ingenii & doctrinę Plato, cum ingenij Aristotelici, acres & celeres in perspiciendo motus admiraretur, tantoperè in illius amorem exarserat, vt vnus illi instar omnium, quibus operam in Philosophia nauabat, esset; huiusq; absentis desiderium, illis amãtissimis verbis significaret, cum modò mentem, modò Veritatis Philosophum, abesse diceret. Quid ille vir gloria, virtute, fortuna, rebus gestis, verę magnus,

cum

cum tuum, in illo iuuentutis flore, qui domi suę, in spem regni, in patriis & auitis moribus instituebatur, indefessum studium in rebus agendis, singularem prudentiam in difficultatibus expediendis, animaduerteret: non dubito, quòd te eodem planè dicto, post præclarè expedita negotia, mentem appellando exciperet, cogitatione verò, suarū virtutum & sapientiæ, veram effigiem destinaret. Plurimùm debuit Macedonię regnum, fortissimo Thebanorum Imperatori Epaminondę, (cum quo illius gentis nominis celebritas cæpit, & cum hoc eodem funere ellata ac sepulta fuit, & de quo incertum erat, meliorne vir an Imperator esset, quod imperia non sibi sed patriæ quæsiuerit, & in quo mirabile videbatur, vnde tam insignis rei militaris scientia, viro inter litteras nato fuerit,) quod Philippus obses datus, in ædibus illius haberetur, vbi illius virtutum exempla inspiciebat, atque etiam in tantùm imitatus fuerat, vt sordidum & obscurum Macedoniæ regnum, Græciæ & Asiæ ceruicibus imposuerit. Non minus, eo nomine, regnū Poloniæ, Samoscij manibus acceptum referre debet, quod is non tàm Imperatorijs virtutibus, quibus etiam plurimos veterum videtur superare, non tam ingenij & litterarum gloria, qua homines præstantissima doctrina adæquabat, gentis suæ nomen auctum & ornatum esse voluit, quam te tanto ci-

 ue domi

ne, domi suę educato, suorumq; morum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij, sapientiæ, tanquam hærede instituto: vt quemadmodum ille, consilio & armis, grauissima pericula remouebat: tu quoq;, (quod nunquam facere intermittis,) alienissimis temporibus huic ipsi Reipub: consilio, & auxilio præstò adesses. Quid igitur mirum, si neque Senatus, viris longo vsu, summa doctrina, excelentissimis ingeniis affluens, tuam illam promptam & expeditam in dificillimis Reipub: negotiis explicandis sententiam, satis vnquam extollere potest: si neque exterarum gentium, Regumq; pontentissimorum Oratores, tuam in responsis accipiendis ornatam, sapientē, rebusq; accomodatam orationis copiam satis demirari, nec apud suos commendare poterāt. Non etenim, vt est Theognis testis, è squilla, rosa nascitur, aut Hyacintus, neque vt Poëta Venusinus canit. Imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Sed vt

Fortes, creantur fortibus & bonis,

& vt, est in iuuencis, est in equis patrum virtus: ita à viris, summo consilio, summa virtute, summa auctoritate, si nimirum alios informandos susceperint, nonnisi eiusdem consilij, virtutis, auctoritatis, ciues sunt sperandi. Beatum te, I. P. quod eum ducem & autorem, ad hæc sapientiæ studia nactus fueris: sed longè beatiorem Rempub: quod virtus, &

probi-

probitas eorum Senatorum, qui vita ſunt functi, in aliis propagata refloreat, & publicè dignitati deſeruiat. Sed iam, quæ tua mens, quis animus erat, in iuſtitia colenda, & iure proprio vnicuique tribuendo, profectò ſi meæ aures pereginarentur, & ſi in hac tàm celebri, & peruagata huius tantæ virtutis omnium prædicatione, tanquam hoſpites verſaſarētur, tamen propter has, quas in te ſum admiratus virtutes, illius obliuiſci non poſſem. Sapienter enim, vt cætera, parens & autor doctrinæ Peripateticæ Ariſtoteles, illos dignos eſſe iudicauit, quorum conſilijs crederetur, ſi & probi, & prudentes, & beneuoli eſſent, etſi quid horum trium abfuerit, non ſatis tutum eſſe monet, illos noſtræ cauſæ cognitores & patronos deligere. Nam ſi is vir probus erit, & nobis amicus, ſed idem parum prudēs & conſideratus, facilè ipſe in errorem prolapſus, nos quoque in idem præcipitium aget: ſin autem conſilio & ſapientia abundabit, ſed improbo animo, & in nos malè animato fuerit, in fraudem inducet potius, quam bono & ſalutari conſilio proderit; ſi denique fuerit, & prudentia & virtute ſpēctata, ſed nulla nobis neceſsitudine diuinctus, conſulet ille quidem rebus noſtris bona fide, & ſine fallacia, ſed tanto melius conſulturus erat, ſi nobis aliqua cum ipſo interceſsiſſet coniūctio. Quid tu, cum ad te, ampliſsimum & laborioſiſsimum Pro-

cancelarij munus, voluntate optimi Regis, consensu sapientissimi Senatus, omnium verò ordinum summo cum applausu delatum fuisset, nonne quod huius magistratus officium est, cum ad causas cognoscendas, & iudicia exercenda accedebas, ab hoc trium virtutum comitatu deducebaris? nonne huic iuxta te locum deferebas? Aderat religio, probitatis, innocentiæ, & cæterarum virtutum procreatrix, quæ diligenter prouidebat, ne vllis vnquam largitionibus, aut fucatis blanditijs, aut ementitis rationum momentis, æquitatis ara expugnari posset. Aderat sapientia, quæ offusas fallaciarum tenebras discutiebat, & quæ, quid in quaq; re verum esset, reperiebat. Aderat ciuium & patrię indefessus amor, qui ius suum vnicuique tribuebat, & ne quis vnquam dignitatis aut fortunarum detrimentum caperet, operam dabat. Dicebat grauissimus Romanorum, & omnium officiorum momenta diligentissime perpendens, M. Cato: iudicem nec pro iustis orandum, nec pro iniustis exorandum. Quis hoc dictum melius? quis magis adamusim in iure dicendo teipso expressit? qui vix vnquam, ac ne vix quidem, aliquo verbo compellatus, multis iactatam iniuriis, & multis exagitatam contumeliis æquitatem eripiebas, & cui debebatur reddebas; & qui in causis iniquis nullius fauore, nullius gratia, nullius precibus,

nec

nec vllis vnquam preciosis rebus, à iustitia te deflecti patiebaris. In cælum vsque M. Curius extollitur, quòd Samnites, cum sibi magnum pondus auri attulissent, illo dicto repudiauit, aurum habere, præclarum sibi non videri, sed eis qui aurum haberent, imperare. Maximæ laudi, C. Fabricio datum est, quod Legatus ad Regem Pyrrhum, oblata sibi ex gemmis & auro præstantissima regalis munificentiæ dona, accipere recusauerit. Tua vero laus, quo tam vberrimo ac fælici orationis flumine assequi? quibus tam præclaris Poëtarum carminibus exprimi? quibus denique annalium monumentis, ad sempiternam hominum memoriam consecrari poterit? cum nō semel, nec bis, vt hi Romanorum, sed quot erant causæ auscultandæ, tot maximis & sumptuosis muneribus, lacessitus & prouocatus, illa tamen, ne inspicienda quidem duxisti, sed prætericns, illam solennem tibique toties vsitatam vocem reddebas, æquitatem in tuis iudiciis sine vllis prœmiis, quenquam posse obtinere, iniquitatem verô, nulla vi pecuniæ, nullo auro etiam in vnum ex omnibus Gazis congesto, mercari posse. Quid hac voce maius, quid præstantius, non dicam reperiri, sed excogitari potest? vincit sua nobilitate, doctissimas sapientissimorum hominum sententias, quod hæ, animum quadam iucunditate perfundant, illa vsui & rebus humanis accomodata: vincit Le-

cit Legiſlatorum inſtituta, quod hæc illi, non ſibi; ſed aliis viuendi rationes indixerunt, illa verò tanquam Sacroſancta lex, in tui offficij religione ſemper eſt verſata: Vincit Apollimis, magno ſtudio, & magna veneratione, à cunctis nationibus quæſita oracula, quod hæc ambiguis perplexa verbis, plurimis perniciem attulerunt; illa plurimos, in ſuis fortunis collocauit, plurimis ſalutem & dignitatē reddidit. Ægiptij Sacerdotes, qui animalium, cęterarumq; rerum figuris, tanquam litteris quibusdam, in animi ſui ſenſibus prodēdis vtebantur, iuſtitiam deſignare volentes, corpus virginali forma, ſed cui caput ademptum eſſet pingebant, quaſi quod vt Seneca in Octauia conqueritur,

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, cruentâ cæde pollutas manus,
Aſtrea virgo ſyderū magnū decus, reliquerit.

In qua enim Repub: ac ſocietate, vi & ferrores geruntur, audacia, rapinæ, nefariæ libidines regnāt, ciuium vulneribus Reſpub: cruentatur, Senatus tamen obmuteſcit, iudicia conticeſcunt, ciues optimi lugent; ſeque non legum ſed parietum præſidio tuentur, ab hac iuſtitia voluntarium exilium ſuſcipiēs recedit, vniuerſaq; ſacra & prophana, latrocinijs diripienda permittit. Non ſum neſcius, ſuperiori memoria, magna cum diligentia, ſeueritate, ſanctimonia, iudiciorum vim, & grauitatem, cuſtoditam,

ſtoditam & cõſeruatam fuiſſe, ſed ſi hæc perdita atque profligata fuiſſet, tu hanc, ipſamq; iuſtitiam reuocare, tu infamiam ac inuidiam iudiciorum remouere, tu ſpem corrumpendi iudicii præcidere, tu fidem in foro, auctoritatem in Senatu, religionem in templis collocare poteras. Tibi enim iure optimo, illud elogium, quod M. Cic: de Bruto, quem tanquam partem animæ diligebat, fecit; tibi inquam, conuenit, Quid tàm diſtans, quàm à ſeueritate comitas? quis tamen vnquam te, aut ſanctior eſt habit⁹ aut dulcior? quid tàm difficile, quã in plurimorum controuerſiis diiudicandis, ab omnibus diligi? conſequebaris tamen vt eos ipſos, quos contra ſtatuebas, æquos placatosq; dimitteres: itaque efficiebas, vt cum gratiæ cauſa nihil faceres, omnia tamen erant grata, quæ faciebas. Diutius forſan, quàm debui, I. P. hoc inani & impolito verborum ſtrepitu, tuas patientiſsimas aures videbor alicui, & tibi ipſi, detinere: mihi verò in hoc ſpatioſo, & floridis ac virentibus tuarum virtutum meritis conſito campo, etiam hoc modicum & inſtar momenti videtur, ſed ne moleſtus ſim, & ne, quod res eſt, videar parua naui, maria velle emetiri & transmitere, ad portum me ſi non plenis, attamen non fractis velis recipiam; Si vt quondã Vlyſſes, non prius poſt tot res aduerſas & infortunia perpeſſa, regno paterno, & optatæ quieti redditus

ditus est, quàm Phęacum regionem lustrasset: ita & ego facile exitum orationis reperiam, si priùs aliquã de tuo vero & perpetuo in Remp: amore commemorauero. Et cum mecum, tuam superiorem vitam, multis in molestiis & difficultatibus actam recogito, & iam præsentem, cum in iisdem curis & laboribus exerceri intueor, quin exclamem, continere me non posum. Ecquando finis erit malorum? ecquando mordaces & sanguisugæ discedent curæ? ecquando hæc catena malorum, in qua molestia molestiam, calamitas calamitatem trudit & excipit, euoluetur? Itane, etiam ne in hac, non tam senili, quam defessa & attrita negotiorum Regni difficultatibus ætate, quiescendum erit. L. Lucullus, postquam tot imperia, à populo Rom: sibi demandata gesisset, & postquam primus Romanorũ, cũ exercitu Taurũ montem transisset, Asiam aggressus fuisset, Tigranis & Mithridatis copias fregisset, reliquũm ætatis pacatæ vitæ & tranquillæ dedit. Scipio verò Africanus, fulmen Imperij Rom: Punicę fraudis & audaciæ domitor, ipsiusq; Carthaginis opulentæ & munitissimæ expugnator, & gloriæ satietate captus, & motuum ciuilium pertæsus, vitam ruri in otio cum dignitate egit. Quid prohibet, quo minus & tu, tanto exemplo Clarissimorũ virorũ, hoc graue & negotiosum munus curandæ Reip: in aliorũ humeros reclines, &

hoc

hoc quodcunq; restat vitæ, publicis laboribus fatigatæ, cur non aliqua iucunda & honesta quiete recreas & confirmas? amor scilicet, quo summopere patriam complecteris, non patitur, non permittit, sed intimis animi ardescens medullis, ad Reipub: curas anxiè & sollicitè hortatur. Hic te ab adolescētia, in hos fluctus & tempestates ciuilium rerum coniecit; hic persuasit, vt difficillimam moderandæ Reipub: artem cognosceres, hic autor fuit, vt illam forensem: & rebus agendis accōmodatam orationis facultatē, (qua apud exteros Tulliani visi sumus,) consequerere: hic efficit, vt oēs sine diuturna molestia, sine impensa, etiā sine patrono, paratissimum rerum suarum perfugium in tua prudentia haberent; hic vt pestem & perniciem à Rep: consilio sapientiaq; propulsares; hic denique, vt cum illa ciuium à suo Principe voluntatum alienatio fuisset facta, & Regni status in maximum discrimen adductus, suscepta Regis nomine Legatione, contendisti etiam cum vitæ discrimine, vt & Principis optimi dignitas, sarta & tecta esset, & vt offensionibus obliteratis, in mutuū amorē & concordiā exardescerent, cōmunemq; Remp: cōmuni studio & amore cōplecterentur. Verè sæuus est, & crudelis amor, illorumq; rationibus inimicus, quorū animos vrit, his verò benignus & fructuosus, qui nos sibi eo deuinctos habent. Et quanquā plurimi fuerunt,

 runt,

runt, qui diuersa amoris sui in Remp: monumenta, extare voluerũt, & aut instructissimis copiis pro libertate dimicãdo, aut cũ hoste in certamen singulare euocato manũ conserendo, aut ciues flagitiosos vrbe prohibendo, mortem oppetierunt; sed quid tàm ciuibus optabiliùs, quid patriæ salutariùs, quid Reipub: gloriosiùs, quam sine cæde, sine ferro, non modò hostiles acies conficere, sed excitatas in Repub: tempestates, consilio regere, & quadam diuina propè moderatione sedare. Illi enim, sæpiùs audacia, & inconsulto gloriæ studio incensi, aut ipsi occubuerunt, aut fortissimo exercitu amisso, hosti viam ad Rempub: opprimendam muniuerunt: hi aut nullo milite conscripto, aut paruis copiis collectis, sed nullis non modo signis collatis, sed ne belli signo dato, hostem ad deditionem & ad mandata accipienda sæpenumero compulerunt: illi vix aliqua patriæ salute allata, è vita sublati, plura & maiora amoris sui argumẽta declarare nequiuerũt; hi meritis, & gloriæ superstites, quoties Respub: fracta malis, debilitata dissensionibus, abiecta metu periclitatur, toties hanc saluberrimis consiliis, ad spem libertatis & pristinæ dignitatis erigũt. Quare Homericus ille Rex Regum Agamemnon, plures sibi dari Nestorea prudentia viros, quàm Achillea fortitudine milites, ad opes Priami, & gentem Troianam euertendam, optabat. Quidquid enim turba-

 rum,

rum, in eius Castris iracundus & furiosus Achilles dabat, totum hoc sapientissimus Nestor, maturo consilio, atque incredibili prudentia sedabat. Hæc sunt tua trophæa, I. P. hi arcus triumphales, quos in hac publica omnis ætatis hominum lætitia, ex tuo primo ac fælicissimo in hanc Episcopatus Sedem ingressu, tuis maximis togatisq; virtutibus erigimus, & statuimus. Quorũ, non hanc rudem operis structuram, sed in his rerum à te gestarum imaginẽ, aliquomodo adumbratam, quis non demirabitur? quis non amplectetur? quis non prædicabit? nisi aut quem, alienis bonis mærens inuidia inuaserit: sed inuidia virtute parta (vt Tullius dicebat) gloria non inuidia putanda; aut nisi quis, nullam victoriam dicendam, nullum triumphum, nisi ex hoste deuicto agendum esse existimabit. Sed quæ belli ratio difficilior, quæ periculosior esse potest, quàm, cum prædonibus animarũ, cum hostibus salutis humanę, tot fallaciarũ artibus instructissimis, in certamen descẽdere? & pro Christi hęreditate, pro sacris & aris, pro ritu religionis Apostolicæ decernere? hominesq; nescio quibus furiis ac præstigiis vexatos, vt rebus diuinis bellum indicant, ab illarum contactu prohibere? Qua ex pugna cũ semper victor redieris, an non meritò, hoc præsertim tẽpore, quo tua merita, amplissimis prœmiis ornata, & omnium bonorũ faustis acclamationibus prosequuta,

 exul-

exultant & triumphāt, religio quoq; triumphabit? an non vel his triumphalibus statuis decorabitur? Quid verò numerosus & fortissimus miles, quid machinæ bellicæ proficient? nisi Resp: ea prudentia viros habeat, qui & belli gerendi consilia subministrent, & fines imperii armis prolatos tueri sciant. Qua cū semper, dubiis & formidolosis Reip: temporibus, præstò adfueris: quid est, cur non etiam triūphi honorem cōsequatur? Iam quæ est laus, quę dignitas, gentes im̄anitate barbaras, locis infinitas superare, æquitatis verò nullam certā legem tenere, profectò nulla vis externa tàm subitò, quàm hoc vnum, pręsentissimā perniciem publicis rebus potest accelerare. Hac, cum ex æquo ius dicēdo, salutem & dignitatem Reipub: tuebare, hæc ipsa etiam ornamētis triumphi cumulata exultet. Quid deniq; prodest, nouas dominationes bello cōparare, imperij nomen augere, si ciues ea fide & amore, in patriā fuerint, vt hanc pecunia inducti, parati sunt prodere: sed cum, tuum verum & constantem in omnibus rebus amorem retinueris, meritò huic etiam triumphanti applaudimus. Quare, cum hoc pulcherrimo virtutum triūphantium comitatu, ingredere fælix & fortunatus primariam tui Episcopatus Vrbem, ingredere & occupa, debitam tuis maximis virtutibus Sedem; ingredere augustissimum, & Sacratissimis B. Stanislai reliquiis celeberrimum

Tem-

Templum; & quod vnũ, effusis ad Deum precibus optamus, vtinam huic ipsi quam diutissime præsis; & vt nunc faustissimis gratulantium votis, pro tua incolumitate susceptis, hunc tuũ Episcopatum ingrederis, vtinam ita olim vtinam, cælesti applaudente Curia, lætus Cælum ingrediaris.

# PROSPHONISIS ACADEMIÆ.

ANTISTES Christi, sacrarum gloria rerum,
Ecclesię lampas, columen pietatis auitæ,
Exortum sidus Craci regione vetusta,
Pontificum virtute micans, pastoris amore,
O decus, ô TYLICI, Lechi de stirpe Quiritum.
Quam te cerno lubens, venerorq́; insignibus auctum
Pontificis Craci, Solenni more petentem
Augustas sedes, sanctoq́; cruore rubentes:
Non me tecta tenent, mirâ dulcedine captam,
Conscius haud paries, curæ, studiiq́; tenacis,
Effusam retinere potest in gaudia mentem,
Munere prorumpens medio, proprioq́; penate
Obuia processi, cætu comitata meorum.
Moribus vt Spartana grauis, cultùque seuero,
Excita, diffuso totam sermone per vrbem,
Aduentare grauem spoliis certamine natum,
Quem circum plaudens fundit se armata iuuentus,
Exsilit, atque gradum gestit coniungere campis:
Sic mea, fama loquax, compleuit limina postquam,
Illuxisse diem TYLICI, quo sumat honores
Præsulis, atque suum ingrediatur Pastor ouile,

Occupat

Occupat exultans subitò mea corda voluptas,
Hunc populis Craci, reserare Palatia cæli,
Ingenium cuius; primæuo in flore iuuentæ
Instruxi recti monitis, studiisq; Sophôrum,
Quemq; mei memorem longâ asuetudine feci,
Nec mora, lætitiâ totis stimulata medullis,
Extra tecta, tuos vultus, plaususque requiro,
Ipsa ferens plausum, conceptaq; pectore vota:

Faustis ô vtinam auspiciis, atque omine fausto,
Ingrediare tuam sedem, prendasque sacratas
Fælix ô vtinam Christi ditionis habenas.
Te duce, te ô vtinam fidei diuortia cessent,
Perfida nec rabies ausit temerare vetusta
Sacra Dei, aut dotem templis auferre dicatam,
Omnes sed Christi veniant sub iura benigni,
Amplexi veteres ritus, & dogmata prisca.
Conatusq; mei, curæ, vigilesq; labores,
Quos animis iuuenum, impendo studiosa colendis,
Semirutis penitus tectis, & paupere censu,
Prœmia si meritis nequeunt condigna referre,
Vi propriâ serpent, lætosq; dabunt tibi fructus,
Si me si placidis oculis, vultuq; sereno
Multis defessam curis, studiisque seueris
Adspicies, mestæ propulsans nubila mentis,
Sique meum Genium, quouis tutabere casu.
Sic voueo, sic mens denunciat ipsa futurum,
Auguriisque istis, etiam tibi sidera spondet.

6145/14
INSTYTUT OSSOLINSKICH

18578